

**Exercitatio philologico-theologica de statua salaria, ex Genes. XIX ... / Sub praesidio Samuel Schelguigii ... ; in Gymnasii Gedanensis Auditorio Maximo a.C. [1580, i.e. 1680?] d. x. Octob. horis matut. ; publico eruditorum examini submittit Johann. Laurentius Fischer.**

### **Contributors**

Fischer, Johannes Laurentius.  
Schelwig, Samuel, 1643-1715.

### **Publication/Creation**

[Danzig?] : Imprimebat David Fridericus Rhetius, 1709.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/avbwctvs>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



IMMANUELE LABORES FORTUNATE! 301.  
EXERCITATIO  
PHILOLOGICO-THEOLOGICA 1X.) (7

DE

# STATUA SALARIA,

EX GENES. XIX.

QUAM

SUB PRÆSIDIO

VIRI

AMPLISS. CLARISSIMI EXCELLENTISSIMI

DOMINI

M. SAMUEL. SCHELGUIGII,

Philosophiæ Primæ & Practicæ P. P. Ordiniarii, S. S. Theologiæ Extraordinarii, nec non

Bibliothecarii dignissimi,

DN. PRÆCEPTORIS SUI AC PATRONI, EA,  
*qua par est animi observantia eternum deveniendi,*

IN

GYMNASII GEDANENSIS AUDI-  
TORIO MAXIMO,

A. C. cl. LXXX. D. X. OCTOB. HORIS MATUT.

Publico Eruditorum Examini

submittit.

JOHANN. LAURENTIUS Fischer/

Neuteuchio - Prussus.

Imprimebat DAVID FRIDERICUS RHETIUS. Anno 1709.



302

# STATA SALARIA

EX GENES XIX  
SUB PRESIDIO  
VIRI

M. SAMUEL SCHELCHIGII



58700(7)

GYMNASII GEDANENSIS AUDI  
TORO MAXIMO  
A. C. 40 XXXX D. X. OCTOB. HORIS. VENT

JOHANN. CARLSTADTUS

Neuendorf. Prussia.  
Insuper David FRIDERICS RITTING. Anno 1805





Rdinem in Themate nostro servaturi, ita in Tractatione ejusdem versabimur, ut modum *Theorematico · Problematicum* sequentes, Explicationem Historiæ hujus sacrae *Aphorismis* inclusam, Discussionemque ejusdem, per *Quæstiones* annexam, proponamus.

Expendenda igitur initio erit *ὄνομαζολογία*, quæ duo hæc vocabula נָצִיב & כָּלַח, prouti in Hebræo fonte, Gen. 19, 26. conjunguntur, nobis sistit. Descendit autem נָצִיב i. e. *Statua* ab inusitato נָצַב. Huic affine est Verbum, item in *Kal* inusitatum יָצַב, quod in *Hipbil* habet הָצִיב, *Statuit*. Ipsa tamen Radix נָצַב ab Arabibus & Samaritanis, teste D. Aug. Pfeiffero in *Dub. Vexat. Cent. 1. Loco 48.* adhuc usurpatur, atque illis *Fixit*; his autem *Sedit* significat. Nomen vero נָצִיב etiam *Stationem militarem*, 1. Sam. 13. 3. & 1. Par. II. (seu, ut alii numerant, 12.) 16. itemque *Præfectum Annone Regiæ*, 1. Reg. 4, 19. qui à Jonathane נִסְטָרְטִיגַנְי, & a LXX. vocem Hebræam in versione sua Græca retinentibus, *νασις* dicitur, notat. Vocabulum נִסְטָרְטִיגַנְי *Buxt. in Lex. Chald. Talm. & Rabb. p. 163.* à Græcorum *στρατηγῶν* deducit; Græcis autem *Præfectus talis proprie σιτάρχος* seu *σιτάρχης* vocatur. In Plurali נָצִיבִים sunt *Milites Stationarii*, 2. Sam. 8, 6. quam vocem LXX. per *Φερεαὶν* seu *custodiam* verterunt. Nobis, ut dictum est, נָצִיב *Statuam* notat: pro qua Interpretes Origenis est *Hom. 5, in Gen. Staticulum* posuerunt, quasi *Diminutivum* à *Statua*. At in hoc sensu vocabulum illud, apud terros Latinitatis Auctores, non reperitur. Occurrit quidem in Plinio *Hist. Nat. 34, 17. & 37, 10.* sed alia in significatione. Nam, ut docet Jacobus Dalechampi, *Staticulum currus seu vebiculi genus*, sive, quod alii volunt, *esse di anterior pars fuit, in qua firmus & status manebat*



auriga : Unde etiam MS. quoddam *Febicula* pro *Staticu-*  
*lis* exhibet. Altera vox est מלח .e. Sal, quæ cum voce נציב  
 conjuncta, à Francisco Vatablo redditur *Statua perpetua*.  
 Melior vero illorum Versio videtur, qui per *Statuam Salis*,  
 seu ut *B. Luth. Germ.* vertit, eine Salz-Seule interpretan-  
 tur; de quo infra fusius. Illud quoque notandum, Jose-  
 phum *Antiquitat. Jud.* 1, 12. voces has מלח נציב non, uti  
 LXX. per σήλην αλός, sed αλῶν, per Enallagen Numeri Plu-  
 ralis pro Singulari, expressisse.

§. 2. Sequitur πραγμαλογία, *Existentiam & Essentiam*  
 exhibens. Ab *Existentia* incipimus: ubi quidam reperti  
 sunt, qui eandem negare non dubitarunt, imo impossi-  
 bilem judicarunt; de quibus Andreas Rivetus *Exercit.* 99.  
*in Gen.* recte scribit: *De rei possibilitate, ubi agitur de potentia*  
*divina effectu, nemo, nisi impius litem movere potest.* Tales  
 autem sunt, qui hanc Metamorphosin cum Fabulis Ovidii  
 componunt, nec sacro Auctori tribuunt magis, quam  
 Ethnico nugatori. Certe profana Antiquitas duabus Fa-  
 bulis Historiam hanc sacram involvit, ut (quæ verba ite-  
 rum Riveti sunt) *fides veris derogaretur.* Una est de Niobe,  
 Tantali filia, quam ex nimio liberorum amissorum dolo-  
 re, in saxum obrigescentem Ovidius *Metam.* 6, 4. 302. seq.  
 graphice, sequentem in modum, depingit.

— — Orba resedit

*Exanimis inter natos, natasque, Virumque,*  
*Dirigitque malis: nullos movet aura capillos:*  
*In vultu color est sine sanguine: Lumina mæstis*  
*Stant immota genis: nihil est in imagine virum.*  
*Ipsa quoque interius cum duro Lingua palato*  
*Congelat, & venæ desistunt posse moveri.*  
*Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus,*  
*Nec pes ire potest: Intra quoque viscera saxum est.*  
 De eadem Niobe Pausanias quoque in *Atticis* c. 19. scribit:



τάυτην τὴν Νιόβην καὶ αὐτὸς εἶδον ἀνελθὼν εἰς τὸν Σίπυλον τὸ ὄρεα.  
 ἡδὲ πλησίον μὲν πέτρα καὶ κορημνός ἐστιν, ὅθεν παρόντι χῆμα παρ-  
 χόμεναι γυναῖκος, ὅτε ἄλλως, ὅτε πενθῆσης. εἰ δέ γε πορρωτέρω γέ-  
 νοιο, δεδακρυμένην δόξεις ὄραν καὶ κατὰ τὴν γυναῖκα. h. e. *verten-*  
*te Romulo Amasæo: Niobem ut viderem, in Sipylum montem,*  
*à clarissima urbe ejusdem nominis, quæ, referente Plinio*  
*5, 29. ante Tantalidis, à Niobes Patre dicebatur, caputque*  
*Mœoniæ erat; ubi nunc est Stagnum Sale (ut Th. Farna-*  
*bius ad Ovid. Met. 6. 4. 313. addit) abundans; cum nempe*  
*ipsa se condens terra hæc loca devoraverit, testante eo-*  
*dem Plinio 22, 91. sic dictum: Silex & prærupta cre-*  
*pido imminet, quæ prope assistenti neque mulieris, neque lugen-*  
*tis formam ostentat: qui vero procul aspexerit, mulierem la-*  
*crymantem & mœrentem videre sibi videatur.* Epitaphium  
 etiam plane ænigmaticum apud Agathiam, Scholasticum,  
 Smyrnam, in Nioben versiculis Jambicis Senariis conce-  
 ptum hunc in modum habetur.

Ὁ τύμβος ἔστι ἐνδον ὃν ἔχει νεκρόν.

Ὁ νεκρὸς ἔστι ἐκτὸς ὃν ἔχει τάφον.

Ἀλλ' αὐτὸς αὐτὸς νεκρὸς ἐστὶ καὶ τάφος.

quod *Cornel. à Lapide* in Gen. d. l. ad Uxorem Loti appli-  
 cans, hac ratione expressit:

*Cadaver, nec habet suum sepulchrum:*

*Sepulchrum, nec habet suum cadaver:*

*Sepulchrum tamen & cadaver intus.*

Fabulam alteram de Orpheo, qui cum Euridicem Uxo-  
 rem ex inferis eo pacto revocasset, ut, ejus conspiciendæ  
 gratia, non prius respectaret, quam domum pervenisset,  
 minimeque fidens, voluisset oculos in eam obvertere,  
 quam obtinuerat, amisit, accuratius descriptam v. apud  
 Ovidium *Met. 10, 1*. In horum quoque censum, qui *Existen-*  
*tiam* Statuæ Salariæ, in quam Uxor Loti versa est, negare  
 solent, veniunt, teste Petro Martyre in Gen. d. l. *quidam*  
*Hebræorum*, qui rem ita interpretantur, quasi Statua Salis



306  
vel cumulus, non de Uxore Loti dicatur; sed de Terra, quam vidit post se, cum respectaret. Vidit, inquit, Terram, & fuit instar cumuli, propter illa incendia. Et hinc fortassis est, quod quidam, ut refert Gerhardus in Gen. d. l. non reddiderint: *Facta est Statua Salis*; sed, *Statua Confusionis, Demolitionis, Contritionis.*

§. 3. Melior his Philo Judæus, qui in *Libro de Profugis* recte censet; *Mosen non fabulam fingere, sed rei proprietatem indicare.* Huic adstipulantur, qui ipsum uxoris Loti nomen exprimere audent: Eam quippe Berosus, teste Gerhar- do d. l. vocat *Titeam*, alii vero *Aretiam* ab  $\chi\tau\eta$ , Terra. Quic- quid horum fuerit, nos contra illos, qui veritatem rei ge- stæ inficiantur, notamus (1.) quod tota Mosis recensio nul- lam implicet contradictionem. Qui enim hominem è ni- hilo creavit, & eum, si vellet, in nihilum redigere posset, ille utique etiam corpus foeminae immorigeræ in salem, imo quamcunque materiam aliam, convertere novit:  $\delta\tau\iota \kappa\alpha\iota \alpha\delta\upsilon\nu\alpha\tau\eta\sigma\epsilon\iota \pi\alpha\rho\alpha \tau\omega \Theta\epsilon\omega \pi\alpha\nu \rho\eta\mu\alpha$ , Luc. I, 37. (2.) Si Verba, prouti Adversarii volunt, *improprie* accipienda es- sent, filii Loti non tentassent ex Patre semen excitare, v. 31. & 32. h. e. cum matrem adhuc superstitem habuissent. (3.) Ipse Servator noster infortunium tale attribuit uxori Loti Luc. 17, 32. Nam, ad Mosis Historiam respiciens, nobis minitans acclamat:  $\mu\eta\mu\omicron\nu\epsilon\nu\epsilon\tau\epsilon \tau\eta\varsigma \gamma\upsilon\nu\alpha\iota\kappa\omicron\varsigma \Lambda\omega\tau.$  (4.) Jose- phus, testis oculatus l. d. scribit:  $\iota\varsigma\omicron\rho\tau\iota\kappa\alpha \delta\epsilon \alpha\upsilon\tau\eta\nu \epsilon\tau\iota \gamma\alpha\rho \chi\epsilon \nu\upsilon\nu \delta\iota\alpha\mu\epsilon\nu\epsilon\iota$ , i. e. *Vidi eam*, nempe Statuam Salis, de qua antea egerat, (pro quo Sigismundus Celenius male ponit: *Dictum est mihi jam & de illa:*) *nam extat hodie quoque.* Christianus etiam Adrichomius in *Theatro Terra Sanctæ*, cum Tribum Judæ describeret, num. 230. inter mare mortuum, quod Gen. 14, 3.  $\text{הַמֶּלַח}$  i. e. mare salsum, itemque Solitu- dinis & lacus Asphaltites dicitur, ac montes Engeddi Sta- tuam Salis adhuc positam reperiri, ex illis, qui Loca hæc inspe-



inspexerunt, auctoribus, probat. Brocardus Monachus,  
 in *Locorum Terra Sancta Descriptione* hæc refert: *Pro Statua*  
*Salis videnda, multum subi laboris; sed incassum. Nam avertē-*  
*runt me Saraceni, dicentes, locum non carere periculo, propter*  
*serpentes, vermes & feroces bestias, ibi habitantes; sed postea*  
*comperi, rem non ita se habere.* Ex quibus patet, Brocardi æta-  
 te, incolas Palæstinæ scivisse & agnovisse, rem ita se habere;  
 quamvis ad eam videndam peregrinos admittere nolue-  
 rint. Hieronymus Scheidt in *Descriptione Itineris, Er-*  
*phordia Hierosolymam*, An. 1614, & 1615. suscepti, quæ  
 Helmstadii An. 1679. in 4to edita est, p. 62. hæc habet: Es  
 ward uns neben der Seiten des Sees in dem Wasser ein Ort  
 gezeuget/da Lots Hanß-Frau solte zur Salz-Seulen worden  
 sehn; Kuntten aber dazumahl nichts davon sehen. Denn das  
 Wasser um die Zeit des Jahrs weit über sie gehet / von wegen  
 des Schnees/so auf dem hohen Gebirge zergethet. Die Münche  
 und andere berichteten uns/ so iemand im Sommer/ als in dem  
 Augusto oder in dem Sept. dahin reisete/könte man sie gar biß  
 unter die Brust sehen. Testimonia plura vide infra in Quæst.  
 2. (5.) Si Adversariis loco cederemus, periculum imminebit,  
 ne etiam Historia de everfione Sodomæ ac vicinarum Urbi-  
 um in dubium vocetur, quam Moses in commatibus imme-  
 diate præcedentibus, 24. & 25. proponit. Quod si autem hæc  
 proprie intelliguntur, quæ non minus miraculosa sunt;  
 cur in v. 26. Historicum improprie locutum esse, fingere-  
 mus? (6.) Si Moses ex mente adversariorum intelligi vo-  
 luisset, procul dubio non usus fuisset tam dura Ellipsi, qua-  
 lem Patroni adversæ sententiæ fingunt. Quid enim: *Et*  
*respexit uxor ejus, & facta est* (scilicet Terra illa) *Statua Salis?*  
 cum Moses ambiguitatis evitandæ gratia verba, quæ cre-  
 duntur omissa, adjicere potuisset. (7.) Ad demonstnan-  
 dam Possibilitatem, hoc etiam facit, quod Arbores, Plan-  
 tasque, imo & interdum Homines lapidescere, Joh. Hen-  
 ric.



ric. Ursinus *Analect. Sacr. Vol. 1. L. 3. Physico c. 4.* ex celeberrimis Medicorum filiis, erudite ostendit. Sic An. 1348. in Bavaria Rusticos cum vaccis, terræ motu, auraque pestilenti correptos, in statuas salarias diriguisse, pro se, probatur ex Aventino. In Burgundia foeminam, obsepto utero, prægnationis sarcinam totis 28. annis gestasse, mortuæque & resectæ infantem lapideum, durissimo quasi è marmore, exemptum esse, constat ex Cordæo in Hippocrat. de Mulier. & Scriptore Gallico Thesauri Supernat. ac Mirab. Histor. Didacum Almagrum, Hispanum, per montes in America Meridionali è Peruvia in Chilam penetrantem, magnam copiarum suarum partem, immanitate frigoris, pestiferaque auræ tempestate enectam, ibidem amisisse, eandemque quinto post mense, saxi instar obrigefactam, inconsumptamque invenisse, adducitur ex Bisselli Argonaut. Americ. 14, 2. Hæc apud Ursinum. Adjiciemus & memorabile exemplum ex *Itinerario Anglici cujusdam mercatoris*, qui An. 1648. interiora *Mauritania* perreptavit, & res, à se visas, primum vernacula lingua descripsit; quas deinde Germanus quidam in suum idioma transtulit, & una cum aliis scriptis vulgavit in libro, cujus Titulus est: *Asiatische und Africanische Denckwürdigkeiten dieser Zeit.* Ubi p. 402. seq. in Prato quodam Tezrimensi, Viri cum asino coeuntis formam lapideam, in qua artus, nervos, oculos & cætera membra accuratissime observare licuit, se vidisse, manifestumque illud divinæ iræ documentum Æthiopibus seu Arabibus, in tam horrenda facinora pronis, ob oculos positum esse, Auctor refert. Idem ex aliorum, cum quibus ipse locutus fuerat, relatione narrat, quinto itineris ab urbe Tripolidie, urbem in montibus Gubel reperiri, in qua Domus, Homines, Animalia, Arbores, Muri & Conclavia, Infantes in cunis jacentes, Vir Uxorem plagis excipiens, & innumera alia durissimum



num in lapidem commutata conspiciantur, Athenis quoque viros duos, Sodomiam exercentes, & in saxum versos, conspici, ibidem legitur. (S.) Contra Hebræos potissimum urgemus *Tbargum Hierosolymitanum*, quod hunc in locum ita habet: עַל־רִהוּרִית אֶתְתִּירָה רְלוּט מִן בְּנֵי בְנִיהוֹן עַמָּא דְסָדוֹם אֶסְתַּכְלָלָהּ מִן בְּתָרְנָהּ לְמִיחְמֵי מָרָה הָיִי בְסוֹף בֵּיתִירָה דְאֲבוּי וְהָנָה הָיִי קִימָנָה עִמּוֹר: i. e. *Eo quod uxor Loti fuit de filiis filiorum populi Sodoma, respexit post se, ut videret, quidnam futurum esset cum domo Patris sui: atque ita factum est, ut facta sit columna Salis, duraturasque ad tempus, quo erit Resurrectio, qua mortui reviviscant.*

§. 4. *Existentiam sequitur Essentia*, secundum quatuor *Causas, Finem, Efficientem, Materiam & Formam* expendenda. Initium faciemus à *Fine*. Ubi celeberrimus Kircherus, in *Mundo Subterraneo*, Tom. I. L. 6. Sect. I. c. 4. p. 301. uxorem Loti in Statuam Salis ideo mutatam esse scribit, ut Sale Sapientiae infusis Homines condirentur. Sicuti igitur, teste Plin, 31, 7. omnis locus, in quo reperitur Sal, sterilis est, nihilque gignit: unde Abimelech *Jud. 9, 45.* everfa civitate Sichem, Sal in ea seminavit, indicaturus, eam perpetuo desertam & incultam fore, & *Soph. 2, 9.* Deus Moabitis pariter & Ammonitis vastationem omnimodam annuncians, dicit, Populos hos fore מְכַרָּה מֶלֶח, Fodinam Salis; nec non *Jer. 17, 6.* אֶרֶץ מֶלֶח, Terra falsuginis, i. e. falsuginosa æquipollet מְדְבָר, Deserto, cui etiam suffigitur; itemque *Psal. 107, 34.* אֶרֶץ פֶּרִי, Terra fructus, seu frugifera, dicitur versa in falsuginem: ita pariter ἀπιστίας ψυχῆς μνημεῖον, i. e. incredulæ (pro quo *Vulg. male: incredibilis*) animæ monumentum, est ἐσηκῦια σήλη ἀλός, *Sap. X, 7.* Debemus enim exemplo S. Pauli *Phil. 3, 13.* τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθάνεσθαι, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτείνεσθαι. Hinc & *Luc. 17, 32.* Historiam nostram *Allegorico* (accuratius



310.  
tius forsitan, *Tropologico seu Morali*, quia, ut habent Ly-  
rani versus,

— docet, quid credas, *Allegoria*:

*Moralis, quid agas*)

explicari sensu, scribit Glassius *Phil. Sacr. L. 2. Parte 1. Tract.*  
*2. Sect. 3. art. 2.* Quin & C. Sedulius Presbyter *Carm. L. 1.*  
canit:

*Lot Sodome fugiente chaos, dum respicit, uxor  
In Statuam mutata Salis, stupefacta remansit,  
Ad pœnam conversa suam; quia nemo retrorsum,  
Noxia contempti vitans contagia mundi,  
Respiciens, salvandus erit. — —*

Vide, si placet, August. *Enarr. in Ps. 69. & 75. de Civit. Dei 10,*  
*8. L. 22. contra Faustum, Philonem L. de somniis, & L. 2. Legis*  
*Allegoriarum.* Digna quoque sunt verba Matthesii in *Sare-*  
*pta, Conc. II. p. 615.* ut huc transcribantur. Ita nimirum  
ille: Vielleicht haben die Alten ihre Salz-oder Stein-Seulen  
mit Salz bestreuet/und für die Kirche gestellet/wie Salomon  
seine 2. Seulen für den Tempel ordnet/1. *Reg. 7, 21.* daß sie sich  
aus dem gemeinen Salz/oder daß viel Hauß-Väter neben ih-  
ren Stuben-Thüren vom Seuben-Salz aufhängen lieffen/  
und Abends und Morgens daran lecketen/Lots Weib Salz-  
Seule und des HErrn Christi Befehl daraus haben erinnern  
wollen. Quid multis? Sale Sapientiam indicari, alia in super  
Scripturæ loca evincunt. Tali enim nomine venustam ur-  
banitatem, & urbanam venustatem, quæ circumspeditione  
Christiana miscetur, mactari videmus à S. Paulo, requirente  
λόγον πάντοτε ἐν χάριτι, καὶ ἀλατὶ ἡγούμενον, εἰδέναι, πῶς δεῖ ἐν  
ἐκάστῳ ἀποκρίνεσθαι, *Col. 4, 6.* cui alibi contraria metaphora  
λόγῳ σαπρός opponitur, *Eph. 4, 29.* Non possumus, quin  
adducamus nonnulla ex Leonardo Mario, Theologo Co-  
loniensi. Ille, cum adduxisset ex Prospero *de Prediction. &*  
*Promiss. 1, 16.* verba sequentia: *Uxor Loti Salis Statua effecta,*  
suo



suo exemplo fatuos condidit, in proposito sancto, quo tendunt  
 proficientes, noxia curiositate non debere respicere: mox de suo  
 subjicit: *Quod utinam sacrarum Religionum Apostata didicis-*  
*sent!* Horum Catalogo B. etiam nostrum Lutherum à Pon-  
 tificiis inferi, nemini, ut opinamur, ignotum est. Sed ô bea-  
 tam hanc Apostasiam, qua, cum divinum illud Reforma-  
 tionis opus secutum fuisset, Angelus hic à DEO cum Evan-  
 gelio æterno missus, *Apoc. 14, 6.* Ecclesiam Domini è cras-  
 sissimis Sodomæ Romanæ tenebris eduxit; Cateri vero  
 quam plurimi Uxoris Loti instar (ita enim invertimus  
 potius contra adversarios argumentum) ad pristinum  
 falsæ Religionis statum infelicitè retrospicientes periere,  
 & adhuc eheu! pereunt. Novimus, ut ex Publii Syri Mi-  
 mis, v. 612. loqui nobis liceat: *Optimum esse, Majorum vesti-*  
*gia sequi;* sed addatur & clausula: *Si rectè praeceperint.* In-  
 de ipse B. Lutherus huic objectioni in *Gen. d. l.* rectè respon-  
 dit: *Hodie valde nos urgent Papistæ exemplo superioris seculi,*  
*quò omnia jacuerunt in tenebris. Vestra Doctrina, inquiunt,*  
*nova est, & ignota majoribus nostris. Si igitur vera est, omnes*  
*Majores nostri damnati sunt. Hi etiam respiciunt, & verbum*  
*præfens sic negligunt. Sic enim ad nos, quale Dei judicium sit*  
*super illos, qui jam olim ex hac vita emigrarunt?* Nobis hodie  
 predicatur verbum DEI: id sine disputatione debemus audire  
 & amplecti: non debemus fieri Quaristæ, qui Deum interro-  
 gant: *Quare hoc tempore patefecerit sanam Doctrinam, &*  
*non superioribus temporibus?* Hæc plane consonant illis, quæ  
 apud Cyprianum leguntur L. 2. Epist. 3. (seu, ut Pamelius  
 numerat, Epist. 63.) *Si Christus est audiendus, non debemus*  
*attendere, quid aliud ante nos faciendum putarit; sed quid,*  
*qui ante omnes est, Christus prius fecerit: Neque enim boni-*  
*nis consuetudinem sequi oportet; sed Dei veritatem.*

§. 5. A Fine progredimur ad Efficientem, tam Principa-  
 lem, quam Minus Principalem. Causa Principalis in Textu ex-



plicite non exprimitur: ita enim verba habent: וְהָיָה נְצִיב, הָלַח & *facta est Statua Salis*: interim eam haud difficulter partim ex *Contextu*, partim ex *Natura Actionis* eruere licet. Quod ad *Contextum* attinet, Moses, postquam in Commatibus XXIV. & XXV. Comma nostrum XXVI. immediate præcedentibus, docuisset, Incendium Urbibus maledictis à DEO immissum fuisse, pergit, & everfioni descriptæ è vestigio mutationem Uxoris Loti subjungit, indicaturus, hæc omnia uno ab auctore prodiisse. Sed & *Natura Actionis* ita comparata est, ut à nullo, nisi à Deo, proficisci potuerit. Nam ut Miraculum; non autem ut Prodigium Diabolicum nobis proponitur, sicut scribit Balduin. *Cas. Consc.* 3. 2. 4. Miraculorum vero *Prima Causa*, Deus est.

§. 6. *Causa Minus Principalis* dispescitur in *Instrumentalem & Impulsivam*. Deum etiam, sine ullo instrumento, actiones miraculosas edere posse, omnes, qui Omnipotentiam Ejus serio agnoscunt, ultro profitentur. Utitur tamen aliquando *Causis secundis*: non, quod iisdem opus habeat; sed, quia Ei per Instrumentum efficere placet, quod sine Instrumento non minus prompte effecisset, si voluisset. Ita aquam ex petra elicit, interveniente virga Mosis percutientis, *Num.* 20, 8. & cibos lethiferos corrigit per farinam, ab Elisæo injectam, *2. Reg.* 4, 40. & 41. & c. Utrum vero Deus in hac Transmutatione, de qua disquiritur, Instrumentum aliquod adhibuerit, nec ne, certo definire non audemus. Fatemur tamen, non plane à ratione alienam esse conjecturam R. Aben Ezræ, quem & Grotius sequitur. Ita autem ille נִשְׂרַפוּ עֲצָמָיו בְּגִפְרִית וְהָיָה עִם מֶלַח כִּיכֹן כְּתוּב (דְּבָרִים כ"ט כ"ג): גִּפְרִית וּמֶלַח וְגַם כְּמַהֲפָכָה סָדוֹם: i. e. *Exusta sunt ossa ejus per sulphur, quod fuit cum Sale. Nam ita scriptum est* (Deut. 29, 23.) *Sulphur & Sal & c. sicut everfa fuit Sodoma.*



§. 7. De *Causa Impulsiva*, quæ Deum ad tantam poenam  
 Uxori Loti inferendam, permoverit, mira afferunt Ju-  
 dæi, & qui Judæorum vestigiis insistant. Ajunt enim, foe-  
 minam illam ex avaritia inhumanam se hospitibus Ange-  
 lis exhibuisse, neque Sal voluisse apponere. Cui sententiæ  
 favere videtur *Jonathan* his verbis: מטורל דחטור  
 i.e. *Propterea quod ipsa peccaverat in Sale, publice punita est: ecce fa-*  
*cta est Statua Salis.* Sic & *Raschi* scribit במלח ובמלח  
 לקתה אמר ליה תני מעט מלח לאורחים הללו אמרה  
 לו אף המנהג הרע הזה אתה בא להנהיג במקום הזה  
 i.e. *Per Sal peccavit; & per Sal punita est.* *Dixit (Lotus) ei:*  
*appone aliquid Salis istis viatoribus. (Illa) dixit ei (Loto:) Tu*  
*hoc etiam in loco hac mala consuetudine vis uti?* Paulo alia  
 Scriptor Pentateuchi Arabicus, *Ibn. Sina*, qui, teste *Hotting.*  
*in Thes. Philol. L. 1. c. 3. sect. 2.* in Bibliotheca Leideni character  
 Arabum Mauritanico impressus conspicitur, his  
 verbis tradit: *Dicunt Interpretes quidam, eam in Salis Sta-*  
*tuam potius, quam quidvis aliud mutatam, quia eo potissimum*  
*contra maritum suum peccavit. Postquam enim divertit*  
*apud Lotum advena, notum illud fecit civibus, signo utrique*  
*parti posito. Nam, pulsato pariete, dixit: Date mihi Sal: ut re-*  
*fert idem Hottingerus Smegm. Orient. L. 1. c. 8. de usu Ling. O-*  
*rient. in Hist. Theol.* ubi etiam ipsa *Ibn. Sina* verba Arabica,  
 quæ ob defectum typorum adduci hic non potuerunt,  
 leguntur. Eo omnia recidunt, quod, juxta illorum sen-  
 tentiam, poena, quæ Talionis dici consuevit, correspon-  
 derit peccato, sicuti loquitur *Lyra* in *Gen. d. c.* locumque  
 hic tritum illud invenerit:

*Per quod quis peccat, per idem punitur & idem.*  
 Verum de hac re ne γεν quidem in sacris literis reper-  
 tur; quantumvis v. 1. 2. & 3. b. c. adventus angelorum ad  
 Lotum ipsumque convivium describatur. Multo minus



assensum merentur, quæ apud Autorem Catenæ Patrum, teste Aloysio Lippomano in *Gen. d. l.* obveniunt. *Videmus*, inquit, *male cessisse Loto electionem suam, qui iussus montem conscendere: elegit civitatulam: IDEO UXOREM PERDIDIT &c.* Nam quid Uxori hac in re cum Marito? Illa peccabat: Illa puniebatur. Nec conveniens est, ut ob Mariti delictum Uxor moriatur, *Ezech. 18. 19. & 20.*

§. 8. Propterea malumus intra cancellos, à Spiritu S. nobis constitutos, permanere, atque adeo agnoscere, Uxorem Loti poena tali affectam fuisse, quia contra expressum Dei mandatum retrospexit. Deus enim Loto, & in persona Loti, ejus etiam domesticis, quos ille, ut Pater & caput Familiæ repræsentabat, per Angelos imperaverat; אל-תביט אחריו ואל-תעמר בכר-הככר i. e. *Ne respicias post te, nec stes in tota hac planicie*, v. 17. At apud Uxorem Loti illud Ovidii *Amor. 3. 4. 17.* locum obrinebat:

*Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.*

Nam in v. 26. legimus: ותבט אשתו מאחריו ותהי נציב מלח i. e. *Et respexit uxor ejus, & facta est Statua Salis.* Josephus addit eandem συνεχώς, i. e. *subinde seu indefinenter retrospexisse*: quod unde hauserit, ignoramus. Sunt, qui in causam Divini Interdicti curiosius inquirunt, quos inter referimus Cornelium à Lapide, quatuor Rationes afferentem. Factum hoc esse ait (1.) ad exercendam Loti & Familiæ ejus obedientiam, (2.) ad sceleratæ gentis detestationem, quam Deus à suis respici volebat, (3.) quia intereat Loti, ut, instante incendio, citissime fugiens se salvaret, (4.) quia respectio poenitentiae signum est, quod, à DEO gratiose liberati, edere vetabantur. Forte ex hac prohibitione Dei ortum duxit *Adagium*, quod Scriptorum Sacrorum auctoritate confirmant Vatablus & Martinus Del Rio in *Adagial. Sacr. in Gen. d. l.* ut videlicet τὸ ne respicias: aliquando idem significet, ac, *ne decæpti poeniteat.* Vatablus

Vatablus



tablus allegat Luc. 9, 62. quod dictum Sedulius ita expressit:

— — non debet arator,

Dignum opus exercens, vultum in sua terga referre:

Del Rio autem addit Pl. 44, 19. Cor nostrum non retorsum severtit, nec gressus noster recessit à viâ tua, & Es. 56, 11. Unusquisque viam suam respicit. Utrum vero Uxor Loti retrospiciendo Poenitentia, an Commiserationis, an Curiositatis, sexui sequiori familiaris, signum ediderit, vel numquid aliud eam ad inobedientiam sollicitarit, non audemus determinare. Jonatban, cum quo hac in parte Tbargum Hierosolymitanum §. 3. p. 8. Exercitationis hujus, alleg. convenit, eam respexisse tradit למנרוע מה הוי בסוף ביתורו. i. e. ut cognosceret, quis tandem finis esset domus Patris sui: nam ipsa erat ex filiabus Sodomitarum. Hottingerus vero in Smegm. Orient. d. l. ex פרקי ר' אלעזר גרורו i. e. Capitulis R. Eliezer Magni Hircani filii, c. 25. adducit sequentia: Viscera Aditb (עירי, vel ab Hebræo עיר, Testari, quasi divinæ Justitiæ perpetuum esset documentum; vel à Chald, עיר, Transire, dicta) Uxor Loti, astuarunt super filias ejus desponsatas, Sodomæ, atque retrospexit, num etiam ipsam sequerentur, necne? Vidit autem post se majestatem Dei, atque facta est &c. Aliter Georgius Elmacinus, Scriptor Arrabicus, qui alias Abnol - Amdi & Ibnol - Amda apud Pocok. Specim. Arab. p. 364. dicitur, & procul dubio Christianus fuit, ut patet ex Hotting. Smegm. Orient. L. 3. Part. 2. c. 2. Class. 1. Ille enim inquit, Audivit clamorem (ab urbibus pereuntibus profectum) respexitque & facta &c. Sed hæ conjecturæ sunt, quibus qui voluerit, assentiatur.

§. 9. De Voce מאחריו adhuc aliquid dicendum est, quæ crucem Criticis fixit, cum inter se hactenus convenire non potuerint, quæ ratione illa commodissime veritatur.



tatur. Jonathan substituit מבתר מלאכיה, *de post Angelum*, vel, *à tergo Angeli*; Raschi & Aben Ezra exponunt מאחריו של לוט & מאחריו לוט, *post Lotum*; Onkelos habet מבתרוהי (quod Biblia Complutensia & Antvverpiana reddunt: *Post se*; cum tamen Chaldaicum Suffixum ויהי, ex Pronomine Hebræo הוה resultans, sit Generis Masculini, adeoque rectius vertatur: *post eum*) Jun. ac Tremellius, *Lotum mulieres, ut eas urget, secutum esse*, in Notis ad h. l. statuentes, reddunt: *ulterius post eum*: Similiter & Piscator: Als aber sein Weib hinter ihm hin sahe. Nonnulli utrumque una illa voce exprimi putant, & quod *post se* respexerit, & quod maritum secuta fuerit, atque ita *à tergo ejus* se reflexerit. Sic enim R. D. Kimchi in ספר שורשים (Libro radicum): אשתו שהיתה מאחריו i. e. *uxor ejus, qua fuit post illum*, seu, *qua sequebatur illum, respexit post se*. B. Lutherus simpliciter transtulit: Hinter sich: quemadmodum etiam Thargum Hierosolymitanum habet: מן בתר, & LXX: εἰς τὸ ὀπίσω; nec non vulgata: *post se*. Quibus versionibus patrocinatur, quod in sacris literis haud infrequens sit talis *Enallage*, per quam *Genus* pro *Genere* ponitur, ut adeo hic מאחריו pro מאחריו legatur. Nam & è contraria *Genus* *Fœmininum* *Generis Masculini* locum occupat, ut Gen. 13, 3. cap. 49, 21. Psal. 42, 9. Ezech. 12, 14. ubi אהלו pro עזרה, שירה pro שירו, סותו pro סותה, עירו pro עירה, אהלו pro עזרו ponitur: id quod etiam Masora Minor indicat, addens ad hæc Vocabula Literas ככ; quibus, ut docet, magnus ille Christianorum Rabbi, Joh. Buxtorff. in *de Abbr. Hebr. p. 112.* significat, כן כתיב vel כן כתיבין, *sic scriptum est*, vel, *sic scripta sunt*, & adhibetur, quando vocis aliqujus peculiarem formam indicare volunt.

§. 10. Cum de *Efficiente* prolixius actum sit, circa *Materia* Statuæ, in quam Uxor Loti mutata est, tanto breviores



277.  
lores lineas ducemus. Non fuisse Statuam illam ex Sa-  
e; sed tantum ita dici, juxta modum loquendi Hebrai-  
um, ut ejus perpetuitas denotetur, auctor est Joh. Bodi-  
us de Republica s. 6. Hebraei, inquit, firmissimas societates  
appellant *Fœdera Salis*, i. e. *sempiterna*, quia nihil eorum, quæ  
concreta sunt ex elementis, sale incorruptius est, ut eodem sen-  
tu sacraliter Statuam Salis appellant, non quæ ex sale con-  
revertit, ut quidam valde insulsi putant, sed quæ sempiterna  
est futura. B. Lutherus etiam in Gen. d. l. dubitative & con-  
jecturans scribit: *Potest fieri, ut Spiritus S. appellet Statuam*  
*salis*, non quod revera Sal fuerit, sed quod similitudinem Salis  
abuerit. Sal enim candidum est. Lutherum sequitur Mat-  
thias Flacius Clavis Scripturæ Parte 1. in voce Sal. *Dubi-*  
*um est*, ait, *an revera merum Sal facta sit, vel mutata in eum*  
*apidem*, qui, ob similitudinem quandam, Salis habet nomen.  
nimvero tali crisi, ut loquitur Cl. Pfeifferus d. l. adeo hic  
non est opus. Quod si enim materiam tam diserte nomina-  
m repudies, quam, queso, cum ratione substitues? Proin-  
de nos Literæ inhærentes, & Spiritui S. fidem adhibentes,  
noxorem Loti in verum Sal mutatam fuisse, contendimus.  
Ecce movet nos modus ille loquendi à Bodino allegatus.  
Nam quod Pactum Salis improprie sic dicatur, res ipsa pro-  
bat, quia Pactum, cum sit actio relativa inter duos, non  
potest Sal, proprie sic appellatus, esse; secus atque se res  
habet, cum Statuæ Salis fit mentio.

§. II. Cæterum, ut brevissimis nos expediamus, Pa-  
ctum Salis sic dicitur ab *Adjuncto*, quia, ut annotavit Fla-  
cius Clav. Scriptur. parte 2. de Situ Cananæ, Tract. 6. Sal in  
victimarum oblatione adhibebatur; victimæ autem in san-  
ctioribus fœderibus. De quo vide omnino Lev. 2, 13.  
Non quidem ignoramus, quod R. D. Kimchi בְּרִית מִלַּח  
exponant *Fœdus Precisum. Determinatum, Absolutum*, quod  
non concessa bit, teste Sante Pagnino in Epitome Thesauri Ling.  
C Sanctæ,



*Sanctæ*, sub *Radice* חֶדֶד. At, si dicendum, quod res est, et si *Fœdus*, quod dicebatur *Salis*, fuerit *perpetuum*: non tamen hoc nomine propterea gaudebat, quia erat perpetuum; sed potius ob rationem illam, quam ex Flacio adduximus. Patet hoc inde, quia, si vox *Salis*, adjecta voci *Fœderis*, perpetuitatem indicasset, non opus habuisset Spiritus S., quoties mentionem facit Fœderis Salis, adjicere סְהִיָּה vel סְהִיָּה: id quod tamen Num. 18, 19. & 2. Par. 13, 5. (quæ loca potissimum Adversarii urgent) fieri animadvertimus. E contrario in nostro Textu nihil additur; sed verba, de quibus dubitatur, simpliciter connectuntur: quod indicio est, à literalis sensu non esse recedendum. Illud adhuc addimus, *Salem*, in quem Uxor Loti mutabatur, fuisse mineralem, qui nullo imbre aboletur: alias enim jam diu Statua illa periisset: frangi potest; sed liquefieri non potest. Quo respiciens Tertullianus, aut forte Cyprianus (nam & huic idem Poëma tribuitur) in Carmine *de Sodomæ*, c. 3. tradit, quod Uxor Loti fuerit

— — in fragilem mutata Salem.

Ut hæc tanto verisimiliora videantur, cogitemus, quod Plinius 5, 5. de Hammanientibus in Africa narrat; Eos domos Sale, montibus suis exciso, ceu lapide, construere. Idem 31, 7. refert, Carrhis, Arabia oppido, muros domosque massis Salis, aqua ferruminatis, extrui. Non igitur mirum, quod etiam corpus ex ejusmodi Sale divina Transmutatione conflatum, perdurare potuerit: inprimis si vera sunt, quæ iterum Flacius in *Clav. Script. Part. 1.* in voce *Sal*, asserit, nimirum Salem, ex quo constiterit illa Statua, fuisse crassum, & per vim ignis efficacia sua spoliatum.

§. 12. Restat ultimo loco *Forma*, & quidem *Externa*, quam Uxor Loti, Deo sic disponente, induebat. Elmacinus, supra laudatus, simpliciter ait, eam mutata esse in Salem.



em. R. D. Kimchi substituit *הי*, *Acervum*. Neque ali-  
Sulpitius Severus *Hist. Sacr.* pr. referens, mutationem  
fuisse in *Molem*. Alii, teste Hotting. d. l., *Ellipsin* agno-  
ant Particulæ *כ*, ut sensus sit: Foeminam *similem* factam  
e Statuæ. Quod non improbens R. Aben Ezra Vocem  
*כ* exponit *מצבה כמעט*, i. e. *sicut monumentum sepul-*  
*rale*, quod in *Libro Sapientia* d. l. *μνημείον* dicitur. Nonnul-  
Prudentio calculum adjiciunt, in Hamartigen. canenti:

*Stat mulier, sicut steterat prius, omnia servans,  
Caute sigillati longum salis effigiata  
Et decus, & cultum, frontemque, oculosque, comamque,  
Et flexam in tergum faciem, paulumque relata  
Menta retro, antiquæ monumenta rigentia formæ.*

Hisce nos etiam accedimus, & verisimilius esse opina-  
mur, Statuam Salis retinuisse Formam Mulieris, quam  
reposuisse, ut Historia apud posteros tanto facilius fidem  
inveniret, perpetuumque divinæ Iræ, contra transgres-  
siones cœlestium mandatorum, exemplum præberet.  
Conf. insuper, quæ in Qu. 2, ex Leonardo Rauchwolff ad-  
ducimus. His ad finem perductis, sequitur

Qu. I. *Ubi & quando Uxor Loti in Statuam Salis mutata  
fuerit?*

In duas sententias scinduntur hîc Auctores. *Unam* am-  
plectitur Cornel. à Lapide, ad v. 22. h. c. censens, muta-  
tionem hanc accidisse extra portam Zoar, priusquam Lo-  
tus cum suis urbem ingrederetur. *Altera* placet B. Luthe-  
ro in Gen. d. l. cujus hæc verba sunt: *Apparet ex Textu,  
ingressam eam cum marito in Civitatem Zoar.* Cui nos quoque  
calculum adjicimus. Angeli enim prædicunt, Deum nihil  
facturum esse, antequam Lotus perveniat ad oppidum  
hoc, v. 22. Deinde cum Lotus illuc pervenisset, v. 23. legi-  
mus urbes illas periisse, v. 24. & 25; Uxor autem Loti v. 26.  
incendio jam grassante, dicitur demum in Statuam Salis



mutata. Præterea eo quoque movemur, quod verbis illis  
 v. 23. לוט בא צערה i. e. *Lot veniebat Zoar*, in continuatione  
 Historiæ, proxime respondeat v. 30. לוט מצוער i. e.  
*Et ascendebat Lot è Zoar*. Nam in Commatibus interme-  
 diis nihil amplius de Loto habetur: unde colligimus,  
 quemadmodum posterior locus verum egressum Loti  
 è Zoar notat: ita etiam in priori verum ingressum de-  
 scribi. Tum & Exemplum iræ divinæ, contra Trans-  
 gressores Præcepti, majori cum fructu inter homines in-  
 tra urbem edebatur, quam in solitudine extra eam. Si  
 igitur Conjecturæ aliquid tribuere licet, censemus, in ipso  
 portæ ingressu, cum jam proxime instaret, ut ædibus ob-  
 jectis prospectus versus Sodomam intercluderetur, uxo-  
 rem Loti, desiderio adhuc semel intuendi patrios Lares  
 accensam, respexisse, tantæque poenæ meritum con-  
 traxisse.

Qu. 2. *An fidem mereatur, quod in eadem Statua, quicquid  
 decutias, aut alio modo atteras, intra breve tempus reparetur?*  
 Sic tradit Prudentius l. c.:

*Liquitur illa quidem falsis sudoribus uda;  
 Sed nulla ex fluido plena dispendia forme  
 Sentit deliquio, quantumque armenta saporum  
 Attenuant saxum, tantum lambentibus humor  
 Sufficit, attritamque cutem per damna reformat.*

Et Tertull. sive Cyprian. l. c. ita canit:

*Quin etiam, si quis mutilaverit advena formam,  
 Protinus ex sese suggestu vulnera complet.*

Accedit Testimonium, quod perhibet R. Eliezer d. l. *Facta  
 est, inquit, Statua Salis, ac etiamnum bodie persistit: lambunt  
 eam boves, & descendens vel stans super pedes suos, mane ef-  
 florescit.* Similiter R. Benjamin, Tudelensis Judæus, in  
 מסעור i. e. *Profectionibus vel Itinerario* testatur: שהצאן  
 לוחבור ממנה ואחר כך חוזרת וצומחת כבראשונה:  
 i. e.



e. Gregeſ lingere de ea, poſteaſque redire, & ad priſtinam  
uantitatem excreſcere. Quod utrum Benjamin ex Capitulis  
Eliezer, prouti vult Horſtingerus d. l., an ex ἀντοψία hauſe-  
t, in medio relinquimus. Sane & recentiores idem refe-  
nt. Nam memoratu dignum eſt, quod Leonardus Nauch-  
olff/ Med. D. in Itinere ſuo, in Palæſtinam A. 1573. ſuſcepto,  
ſervavit: Cuius ipſa verba, ex Ejusdem Descriptione, quæ  
nerario Variorum, Francof. ad Mœnum A. 1609. in Fol.  
ito, inferitur, c. 21. petita, audire placet: Die Pilgrim ſchla-  
n zu zeiten kleine Stücklein von der Salz- Seulen ab / und  
rd die gleichwohl ganz / ohne einigen Abgang / gefunden.  
eßhalb ſich hierüber etliche Pilgrim / ſo dafür dem todten  
Deer zugezogen / nicht wenig verwundert. Damit ſie aber  
ſſen gewiſſen und ſatten Grund hätten / haben ſie / ſonderlich  
ter andern einer (wie ich von einem / der kürzlich allda gewe-  
 / berichtet worden) eine ganze Hand davon abgeſchlagen /  
d die mit ſich hingenommen. Als ſie nun wieder zurücke  
zogen / haben ſie mit Fleiß darnach geſehen / und befunden /  
ß ſie wiederum ganz / und der alten gleichförmig geweſen.  
s fidem derogare non audemus, præſertim quia, ad  
nſervandam monumenti talis perennitatem, necessa-  
um erat, ut, quod injuria temporum, hominumve aut  
corum, adimeretur, ruruſum corpori mutilato accede-  
t. Neque adeo ſupra fidem eſt hæc relatio, cum & Pli-  
us 31, 7. de communi quorundam locorum Sale refe-  
t, hoc in eo eſſe mirabile, quod tantundem noctu ſubveniat,  
antum die auferas. Si igitur hoc in vulgari Sale quando-  
e fit, cur non fieri credamus in Statua Salis mira-  
loſa?

Qu. 3. Quid de Menſtruo, quod Statua, in quam Uxor Loti  
etata eſt, profundere ſcribitur, ſit ſentiendum?

Ad Quæſtionem hanc diſcutiendam anſam præbuit  
Cæſtullianus l. c. ſcribens:



*Dicitur & vivens, alio jam corpore, sexus  
Munificos solito dispungere sanguine menses.*

Similiter Irenæus *Adversus Hæreses* 4, si. Uxor, inquit, Loti per naturalia, ea quæ sunt consuetudinis Hominis, ostendit. Et congruit cum hac sententia, si pro menstruis lacrymas substituas, locus Ovidii antea allegatus de Niobe:

*Flet tamen, &, validi circumdata turbine venti,  
In Patriam rapta est, ubi fixa cacumine montis  
Liquitur, & lacrymis etiam nunc marmora manant.*

Enimvero nos hæc cum Leonardo Mario & Rivero fabulosa esse censemus: tum, quia recentiorum Scriptorum, quos nobis evolvere licuit, nullus (qui quidem oculis hæc lustrarit) similia refert: tum, quia fluxus ille menstrui ad significandam Dei iram nihil facit; ad quem finem omnia in hac Historia diriguntur: tum, quia fortasse Veteres decepti fuerunt, ut rubri humoris prope Statuam, aut subter eam, ex Terra adusta protuberantis vestigia, pro reliquis menstrui haberent. Certe, ut impium est, extenuare miracula: ita puerile nimis, miracula credere, ubi nulla sunt.

Q. 4. *Qualis mutatio Uxoris Loti in Statuam Salis fuerit; utrum ad solum Corpus, an etiam ad Animam spectaverit?*

Animam quoque Uxoris Loti in Statuam esse versam, evincere videtur Locus Sap. 10, 7: in quo vocatur *Animus incredula*. Enimvero quis adeo ignarus est, qui non videat, hic per *συμειδοχὴν Partem pro Toto, Animam pro Muliere, Anima & Corpore constante, poni*. Accedit, quod Anima sit incorporea, atque ideo in corpus, quale fuit Statua, mutari nequeat. Mutatio igitur hæc ita sese habebat, ut solum Corpus, Anima prius separata, in saxum transierit. Inde igitur minime, ut Salomon. Gelsneri in Gen. d. l. Verba nostra faciamus, Flaciani naturæ essentiæq; Hominis in ipsum peccatum Transsubstantiationem, & Pontificii ineptum

Trans-



anselementationis, in qua rem terrenam in celestem muta-  
sunt, somnium probare possunt.

Qu. 5. An divina Justitia consentaneum fuerit, Fœminam  
propterea, quod retrospexerat, tam graviter punire?

Quiescimus in his celeberrimo quondam Roseti Theo-  
go, Joh. Quistorpio, qui in *Annot. Bibl.* ad h. l. recte cen-  
t, Uxorem Loti non ideo tam acerbè fuisse exceptam,  
si ipsum retrospicere peccatum sit; sed quia, id ne faceret,  
us jusserat. Hinc Theologorum Regula: Præcepta Dei non  
ut æstimanda ex ipsarum rerum, quæ præcipiuntur, condi-  
ne; sed ex præcipientis dignitate. Unde & tam severe vin-  
cavit Deus esum pomi primorum parentum. Hactenus Ille.  
nificii autem apud Corn. à Lapide ulterius progredien-  
r, disputantes, utrum peccatum Uxoris Loti mortale, an  
niale fuerit. Quod mortale fuerit, Dionysius Carthusi-  
sis inde probat, quia fœmina propter id delictum periit;  
od propter veniale peccatum fieri non potuerit. Ve-  
m hæc sententia ruinosa innititur Hypothesi de Existen-  
peccatorum ex se & sua natura Venialium: quam No-  
ates dudum everterunt, ex Deut. 27, 26. collato cum Gal.  
10. it. ex Rom. 6, 23.

Qu. 6. Quid de salute Uxoris Loti sperandum sit, aut me-  
tuendum?

non fuisse salvatam, Auctor Libri Sapientiæ d. l. indica-  
videtur, cum *Animæ incredula* titulum ei tribuerit. Hiero-  
mus quoque Epist. 46. ad Rusticum ait: Optaverat quondam  
Lotus cum filiabus salvare Conjugem suam, & de incendio  
domæ & Gomorræ pene semustus erumpens, educere eam,  
& pristinis vitis tenebatur adstricta: sed ea, desperatione  
pida respiciensque post tergum, aeterno infidelitatis titulo  
condemnatur. Nobis quidem satius videtur, de ejusmodi  
controversiis plane tacere. Cecidit Uxor Loti suo Domino,  
i etiam olim resurget, Rom. 14. 4. Quia tamen ab aliis hæc  
itantur, à quorum vestigiis abhorremus, quid animo gera-  
mus,



mus, aperiendum est. Nimirum bene de Foemina ista, quod ad æternam salutem attinet, speramus, Transmutationem existimantes pertinere *ad interitum Carnis, ut Spiritus salvetur*, 1. Cor. 5. 5. Movemur autem ex eo, quod *haud dubie* (quæ verba sunt B. Lutheri in Gen. d. 1.) fuerit *fidelis & sancta mulier; alioquin neque maritum secuta esset in tanta calamitate, nec ab Angelis arrepta &educta*, v. 16. De Misericordia igitur DEI aliter præsumendum non est, cujus divitias Spiritus S. deprædicat Num. 14, 18. 2. Sam. 24, 14. Psal. 103, 8. seq. Accedit, quod in ipso poenæ immixtæ momento Foemina illa Poenitentiam agere potuerit: quam rationem urget Dn. D. Pfeifferus l. d. Inter Pontificios autem Corn. à Lapide d. 1. Purgatorium, in quod Uxorem Loti pervenisse tradit, obtrudere nobis conatur. Sed quia ignis iste validissimorum Argumentorum torrente, jam à Nostreis extinctus est, nolumus ineptæ opinioni immorari. Quin potius toti Exercitationi Colophonem addentes, Deo Opt. Max. gratias agimus, &, si paucula hæc ac levidensia benevole ab Optimorum Studiorum Patronis & Promotoribus suscepta esse intellexerimus, conatibus nostris perexiguus plurimum gratulabimur.

